

877
/13

DISPUTATIO PER ALIQVOT
ASSERTIONES IVRIDICA.

DE
CONTRACTV COMMODATI
VEL CONTRA.

Quam Deo Duce

AVTHORITATE, CON-
SENSV, ET APPROBATIONE AM-
PLISSIMI COLLEGII IVRIDICI, IN
florentissima & Catholicissima Archidu-
cali Friburgensium Academia,

PRÆSIDE
NOBILI, CLARISSIMO, ET CON-
SVLTISSIMO VIRO, DN. IOANNE SIGIS-
MYNDO VVITTFM, I.V.D. ET CODICIS
Professore ordinario.

IOANNES SYLLER, TIGVRINVS HELVE-
tus, Philosophiæ Candidatus, Iuris Vtriusq; Stu-
diosus, ad quintum Idus Iunij defenden-
dam suscipiet.

*In Auditorio Iurisconsultorum longè præstantissimo
hora consueta.*

FRIBV RGI BRISGOIÆ.

Ex Officinâ IOANNIS STRASSERI.

Anno M.DC.XVII.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13





REVERENDISSIMO, SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

Domino

LEOPOLDO,
ARCHIDUCI AV-

STRIAE ETC. EPISCOPO ARGENTINENSI ET PASSAVIENSI, ADMINISTRATORI MYRBACENSI ET LYDRENSI, DUCI BVRGVNDIÆ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, VVirtenbergæ &c.

Comiti Tirolis, Habspurgi, Goritiæ &c.

Alfatia Landtgrauio.

Principi ac Domino suo Clementissimo:

IV, Reuerendissime, nec non Serenissime Archidux., Domine Clementissime, hasce Theses, primum Juridici mei studij partum, Serenitati Vestra offerre verecundia deterritus, tandem ea in audaciam conuersa eidem humillimè offero, submissamente rogans, Serenitas Vestra non tam ipsam rei oblationem, quæ sanè est per exigua, ac tot, tantisq; beneficijs à Serenitate

A 2

Vestra

DEDICATIO.

*Vestrâ in me hæctenus gratiosissimè collatis
(licet vel ipsa mea vita depositio accederet)
indignissima, quam offerentis voluntatem,
observantiam ac perenne obsequium spectare
eaq; fronte, quâ solet benignissima, nec non
tanto Archiduce dignissima acceptare digne-
tur. Deus Serenitatem vestram, ut hæctenus
in Ecclesiæ Catholicae augmentum saluam &
incolumem conseruauit, ita & deinceps diu-
tissimè conseruet, ac tandem huius post lucis
vsuram Domicilio suscipiat sempiterno.*

Serenitati Vestræ

Subiectissimus atq; obstrictissimus

**Ioannes Syller, Tigurinus
Heluetus, Philosophiæ
Candidatus, I. V. Stud.**

PRO

**PRO FACILIORI PRAESENTIS DISPUTATIONIS INTELLIGENTIA, EAM
tria duximus in capita dissectandam.**

In I. tractabimus.

DE *Etymologia, genere, specie, definitione, Commodati.*
De eius *Requisitis ac causis illud intrinsicè constituenti.*
De rebus in *Commodati contractum venientibus* (bus.
De *Affinitate Precariae Pecariorum cum Precario.*
De *distantia inter Precarium, Precariam & Precarias.*
De *Commodati differentia inter mutuum, pignus & depositum.*

In II. dicemus.

De *Effectibus, actione scilicet commodati directâ & contraria.*
De *harum inter se discrepantia & compescentia.*
De *Actione primaria & secundaria.*

In III. agemus.

De *Causis, propter quas hic contractus maximè celebratur.*
De *dolo, eiusque in quatuor species partitione.*
De *culpa, eiusque in latam, leuem & leuissimam divisione.*
De *in hoc contractu vel contra prestandis.*
De *casu fortuito, an & quando prestandus.*
De *Incendio, furto, sint nec ne casus fortuiti.*



CAPVT I.

ASSERTIO PRIMA.

ET vt noſtram diſputationem à faciliſſimis inchoemus ad difficiliora procedentes, ſicque naturæ & doctrinæ ordinem obſeruantes, commodatum à commodando, deductum, in genere deſcribi beneficium aſtrui-
mus (A) quo alicui gratis nulla mercede accepta inſerui-
mus (B)

(A) *l. in Commodato. §. ſicut. ff. h. r.*

(B) *§. in ſumma. Inſtit. de mandato:*

II.

In ſpecie ab alijs contractibus diſtinctum à Iureconſultis definitur, quod ſit alicuius rei in certum vſum, certumque tempus expreſſum vel tacitum (A) gratuita con-
ceſſio, non translatio (B) eadem in ſpecie, & non in alia
eiuſdem generis nobis reddendæ (C)

(A) *l. & §. iam d. ibi. ita modum.*

(B) *l. rei commodata cum l. ſequent. ff. h. r.*

(C) *gl. in c. vnico ext. commodati, & ibi DD.*

III.

Qua ex definitione præter quatuor ad hunc contractum requiſita manifeſtè concludi aſſerimus, eum eſſe
Iuriſgentium (A) bonæ fidei (B) re obligatorium. (C) ſo-
lis verbis ſoloque conſenſu nequaquam contractu poſſi-
bilem (D)

(A) *§. Ius autem gent. iuncta. gl. in verbo, gene.*

(B) *§. Actionem Inſtit. de Actionibus.*

(C) §.

IURIDICÆ.

(C) §. *Item is. Instit. quibus modis re.*

(D) §. *re contrahitur. Instit. quibus modis re.*

IV.

Primum cum secundo ad commodati constitutionem occurrit requisitum, vt res ipsa scilicet commodanda interueniat (A) eaq; commodatarius non ad alium quam ad præscriptum vsum, neq; vltra præfinitum temporis terminum vtatur. (B)

(A) §. *Item is. Instit. quibus modis re.*

(B) §. *placuit. Instit. de obligat. qua ex delict.*

§. *idem denique in l. si vt certo. ibi imo ait. ff. h. s.*

V.

Tertium & quartum accedit requisitum, vt res in specie, non in genere, nisi ditis gratia (ad pompam intellige) commodetur (A) nullaque mercede ex pacto interueniente sit gratuita. (B)

(A) l. 3. §. *fin. Paulus de Castro. ff. eodem.*

(B) §. *Item is. in fine. Instit. quibus modis.*

VI.

His ita præmissis haud dubij affirmamus, huius contractus causam efficientem duobus in his, animo scilicet contrahentium, & rei interuentu copulatiuè acceptis consistere, adeo vt alterutro horum destitutus nomen commodati nulla ratione mereatur.

Per in raiam laudatam in 1. & 2. requisito.

VII.

De cognitione causæ materialis quamuis sit Iuris litigiosi, adeoque difficilis decissionis (A) nos tamen eam cuius rei, vsu & abusu non consumptibili

sumptibili adscribendam disputationis certamine manifestum faciemus. (a)

(A) l. 1. 3. in verbo, non etiam soli.

(B) l. eadem. ibi. sed ut apparet. l. 3. 4. non pot. ff. eodem.

VIII.

Causam formalem esse ipsum rei usum gratis concessum. (A) finalem, mutui beneficij, seu humanitatis & benevolentiae communionem defendere nequaquam reformidamus (B)

(A) l. rei commodata. l. nemo.

(B) l. in commodato. §. sicur. ff. eodem.

IX.

Nec refert, sit hic usus rei propriae an alienae, bonae vel malae fidei (A) commercio hominum subiectae, an ab eo exemptae (B) horum namque omnium ex usu recte conflari commodatum omni dubio exuti statuimus. (C)

(A) l. commodare.

(B) l. si seruus. & l. ita.

(C) l. 1. in princ. ff. eodem.

X.

Hinc patet commodatario rei restituendae exceptionem aduersus commodatorem in Iudicio nil optulari (A) nisi rei dominium ad se pertinere in puncto manifestare sit paratus. (B)

(A) l. 1. §. si prado vel fur.

(B) l. bona fides. ibi. quod si ego. ff. depositi.

XI.

Commodato in specie sic dicto proximè adsimilatur

tur Precarium, hoc tamen vel maximè præter alia differentia munera discrimine ab illo diuersum, quod ad libitum concedentis, rationabili tamen ex causa, & non vergente in damnum aut deceptionem accipientis sit reuocabile, illud non nisi vsu rei expleto.

Per l. 1. & 2. ff. de Precario.

Per c. ult. ext. de Precarijs.

Moh. tract. 2. de contract. dispnt. 298.

XII.

Eius definitio circumfertur, quod sit res quæpiata precibus petentis indefinitè tam diu vtenda concessa, quamdiu concedens eam reposcere noluerit.

Per ll. iam iam allegatas.

XIII.

Precario tam voce quam significatione accedunt Precaria & Precariæ (A) rerum vsus concessionibus hocce tamen discriminis interuallo definite, quod Precariæ contractus regulariter morte contrahentium finiatur (B) Preciarum non item, de lustro tamen in lustrum, puta de quinquennio in quinquennium renouandatum. (C)

(A) §. ult. *Instit. de singulis rebus per fidei commissum relictis.*

(B) c. 2. ext. *de Precarijs.* & c. *de Precarijs.* 10. q. 2.

(C) c. 1. & ibi *Abbas ext. de Precarijs. dicta 10. q. 2.*

XIV.

Ex his ita deductis horum contractuum à se inuicem, item & à Precario distantiam haud multo discursu animaduertere licet, quod vel subiecti versus non obscure concinunt.

THESES

- *Ria, Ria, Rium tria sunt, quibus est caput unum,*
- *Ria sunt solita per singula lustra renasci.*
- *Ria fit ad mortem, nec citra vult reuocari.*
- *Rium finitur tunc, quando vult suus auctor.*

XV.

Demum denique commodatum præter complures alias differentias à mutuo etiam in hoc differre placet, quod in mutuo & vsus & dominium (A) in Commodato duntaxat vsus in accipientem transferatur, (B) à pignore & deposito, quod hæc ad libitum oppignorantis & deponentis reuocentur, commodatum non nisi vsu impleto. (C)

(A) §. *re contrahitur obligatio. Instit. quibus modis re.*

(B) *l. rei commodata. l. nemo.*

(C) *l. In Commodato. §. sicut. ff. eodem.*



CAPVT II.

ASSERTIO PRIMA.

16. Haftenus de Etymologia, genere, specie & natura commodati: hoc in capite de eius effectibus, eorumque varietate disputare proposuimus.

II.

17. Et quidem quantum huius contractus concernitur effectus, eum duplicem assignamus; alium principale, alium minus principale: hic indirectam, ille directam producit actionem.

toto titulo. ff. Commodati vel contra.

III.

18. Ea autem commodati directæ seu principalis esse-
tur actio, qua commodator eiusue hæres vel ad eandem
rem cum omnibus accessionibus (A) finito rei vſu (B) cer-
to loco & tempore pro qualitate conuentionis, integrè
restituendam (C) vel ad eius non amplius extantis æstima-
tionem (D) vel extantis quidem, sed deterioratæ reſtura-
tionem præſtandam contendit. (E)

(A) *l. si ut certo. §. vsque adeo.*

(B) *l. in Commodato. §. sicut.*

(C) *l. eadem. sicut certo.*

(D) *l. sed mihi. §. in hac actione.*

(E) *l. eadem. §. sed reddita. ff. eodem.*

IV.

19. Indirecta seu minus principalis actio, quæ aliàs
commodati contraria appellatur (A) perhibetur ea, qua
commodatarius, eiusue hæres persequitur id, quod sibi à
commodatore ex quacunq; causâ præſtari oportet. (B)

(A) *l. in Commodato. §. rem commodatam.*

(B) *l. in rebus. §. possunt. ff. h. t.*

V.

20. Et quamuis regulariter omnes commodatarij, iusta
si subsit causâ, actione directâ teneantur, nonnulli tamen
veluti furiosi (A) impuberes absq; tutoris authoritate
hunc contractum incuentes huius actionis timore contra
se mouendæ liberantur. (B) nisi forte locupletiores inde
cogniti vtili commodati actione secundum Diui Pij scri-
ptum feriantur. (C)

(A) *l. nec in furiosum.*

(B) *l. i. §. impuberes.*

(C) *l. sed mihi. ff. eodem.*

VI.

21. Verum ne hoc leuamen alijs sit grauamen, iure cautum est, in prædictos dari actionem ad exhibendum; cum planè æquitati & iustitiæ repugnet, rei alienæ inuito domino possessorem nulla profus actione teneri.

Prædicta l. nec in furiosum. ff. eodem.

VII.

22. Hinc dubij admodum ardui ventilationem, à quanam, quanamque ratione res duobus vel pluribus commodatò credita, ab vno ne præcisè, an à singulis in solidum, an vero pro virili vniuscuiusque portione eadem sit reflagitanda? sequente distinctionis remedio expediendam statuimus.

VIII.

23. Aut agitur primæua, rei scilicet restituendæ, aut secundaria, doli admissi scilicet vel culpæ præstandæ actione. Priori casu singulos pro parte tantum teneri, iuris haud est obscuri, nisi ex pacto aliud sit inutum.

L. cum apparebit. ff. locati.

L. in depositi. ff. depositi.

Bart. Paulus de Castro. Petrus

Costallius in l. sicut certo. ff. h. t.

IX.

24. Posteriori, ipsi pacto inter contrahentes vel de præstatione doli & culpæ à singulis in solidum luendæ (A) vel de portione pro virili contribuenda standum esse vno quasi ore iura concludunt. (B)

(A) *L. eadem. §. 1. ff. de duobus reis confis.*

(B) *L. rem mihi. §. in exercitum. ff. h. t.*



CAPVT III.

ASSERTIO PRIMA.

25. Capite secundo de effectibus commodati disputauimus, nunc de in hoc contractu præstandis agemus: nonnulla tamen prius de causis præcipuè hunc contractum causantibus, item de dolo & culpa ad perfectam propositæ totius materiæ cognitionem necessaria præmitteremus, ac tandem omnibus à diuina Maiestate sic inspiratis disputationi finem imponemus.

II.

26. Primo itaque vna ex his tribus, vel commodantis tantum (A) vel accipientis solum (B) vel vtriusque simul (intellige) tam commodantis quam accipientis causa copulatiuè hunc contractum celebrari nemini, nisi extra rationis portam existenti negandum. (C)

(A) *l. si ut certo. §. interdum.*

(B) *l. in rebus. ibi hoc ita.*

(C) *l. prædicta. ibi. ac si. ff. h. t.*

III.

27. Dolum Iurisconsulti, quatuor eius species, dolum scilicet verum (A) dolum præsumptum (B) dolum ex proposito (C) dolum ex re ipsa (D) constituentes definiunt calliditatem, machinationem ad alterum decipiendum fallendumque adhibitam.

(A) *l. dolum. Cod. de dolo*

(B) *l. quod Nerua. & ibi Bart. ff. depositi.*

THESES

(C) *l. eleganter. & ibi Bart. supra.*

(D) *Conar. in c. quamuis. q. 2. de pactis in 6.*

IV.

28. Culpam ijdem in latam, leuem & leuissimam secantes, dolo, de quo iam dictum, excluso definiunt, quod sit deuiatio incircumspecta circa res alienas, qua negligitur id, quod fieri oportet, aut fit, quod omitti debebat.

l. Præterea, de verb. obligationibus.

V.

29. Hisce sic breuiter insinuatæ & enucleatæ commodatarium directa commodati actione commodantis gratia duntaxat celebrati de dolo & lata culpa (A) vtriusque verò causa initi, etiam de leui (B) solo demum accipientis nomine contracti, de omni culpa teneri (C) non item de fortuitis, tribus exceptis casibus in c. vnico ext. commodati designatis asserimus. (D)

(A) *l. si vt certo. 1. interdum.*

(B) *l. in rebus. verbo hoc ita.*

(C) *l. prædicta in principio. ff. h. t.*

(D) *§. Item is. Instit. quibus modis re.*

VI.

30. Indirecta denique commodati actione cuiuscunq; gratia celebrati commodatorem commodatario ad maiores quoscunq; sumptus rei conseruandæ necessitate vtiliter factos, & ad damna ex re vitiosa commodatoris studio concessa perperio restauranda teneri affirmando disputationem finimus.

l. In Commodato. §. 1. & §. sicut.

l. in rebus. §. fin. ff. h. t.



CORONIDES.

I.

Commodatarium rem commodatam
 vsus & temporis finito præscripti termino
 penes se retinere, eamq; inuito rei domino
 conferuare posse defendemus.

II.

Furtum & incendium esse & non esse
 casus fortuitos; vtriusque pugnam subire
 parati sumus.

III.

Commodatorem rem commodatam à
 Commodatario clam auferentem furti non
 esse incusandum constanter tuebimur.

*Laus Deo, eiusque Genitrici in-
 temerata.*